

Z^e
4812



F. K. 106.

V. 454
Vita Seckendorffii
Curriculum.

PROGRAMMA,

QVO

ACADEMIÆ

ELECTORALIS FRIDERICIANÆ

DIRECTOR

ET PROFESSORES RELIQUI

Ad Funus

Per-Illustri atq; Excellentissimo Domino,

DOMINO

VITOLUDO-

VICO à SECKENDORF,

EQVITI IMPERII IMMEDIATO IN OBERZENNA

ET MEUSELWITZ,

SERENISSIMI ac POTENTISSIMI

ELECTORIS BRANDENBURGICI

CONSILIARIO INTIMO &

UNIVERSITATIS FRIDERICIANÆ

CANCELLARIO &c.

d. XVIII. Decembr. beatissime defuncto,

d. XXIX. ejusd.

solenniter ducendum

CIVES ACADEMICOS

hortantur & invitant.



Typis CHRISTOPHORI SALFELDII, Regiminis
Elect. Brandenb. Typogr.





ACADEMIÆ
FRIDERICIANÆ
DIRECTOR
ET PROFESSORES RELIQUI
CIVIBUS ACADEMICIS

S. P. D.



Decessit ex hoc vitæ surgentisq;
Academiæ nostræ theatro Vir summus, Per-
Illustris atqve Excellentissimus Dominus,
DN. VITUS LUDOVICUS
à SECKENDORF, Eqves Imperii
Immediatus in Ober-Zennâ & Meuselvviz, SERENISSIMI ac
POTENTISSIMI ELECTORIS BRANDEN-
BURGICI Consiliarius Intimus & Cancellarius Universi-
tatis FRIDERICIANÆ &c. cujus ut accessu non ita pridem mirificè lætari
estis, Cives Academici, atqve ex eo Serenissimi Academiæ Parentis curam
perspexistis indulgentissimam, sic fatali isthoc discessu non potestis non
etiam atqve etiam ægerrimè nobiscum affici. Ecquid verò publicam do-
loris testificationem merebitur, si nos tam venerabilis Capitis jacturam
haud dignè lugeamus? Singularis omninò DEI bonitas & providentia tan-
ti viri postremum ætatis cursum atq; usum concessisse nobis videtur, ut,
quem tot divinæ benignitates omnibus virtutum, sapientiæ ac meritorum
ornamentis ad summum terrenæ beatitatis fastigium provexerant, vitam
is laudatissimam hujus ineuntis Academiæ in complexu finiens, nullis non
ipsius Civibus atq; filiis, præsentibus & consecuturis, magnum illud suum,
quod totius orbis sub conspectu circumferebat exemplar, commendaret
tanquam proprium ac bono omine relinqueret. Hòc igitur nihil carius,
nihil antiquius habere convenit, præsertim cum ipsa primitivæ Eccle-
siæ sanctitas Christianorum exempla Heroum, quorum in numero
SECKENDORFIUM Nostrum, de Republicâ & Ecclesiâ lon-
gè meritissimum, non immeritò collocamus, sermone & memoriâ con-
sueverit celebrare. Quod quidem institutum, quòad citra ostentationem
simulationemq; servatum est, cœtui Fidelium salutare admodum fuit, re-
quvrens idem nunc à nobis officium, quò magis B. Cancellarii integritas erga
DEUM atqve homines, cum incredibili gravitate conjuncta, & minimis ma-
ximisqve rebus spectata, in omni ejus vitâ facilè cognoscitur, cujus seriem
aliquâ ratione delineandam statuimus. Atqve utinam ipsum annorum
suo.

subrum haberemus scriptorem, optare sinceriorem certè possemus neminem. ita dextrè, apertè ac constanter, de suis pariter atqve alienis rebus, solebat agere, uti ex quotidiana consuetudinis recordatione & quibusdam monumentis palàm constat, præcipuè autem videre licet ex annotationibus germanicè consignatis, quarum nonnullæ vestro, Cives Academici, bono hîc adducentur. Generis originem traxit ex illustri familia Equestri & Imperiali libertate in Franconiâ per plurima secula gaudenti, cujus Majores seculo superiori, inter primos ex contribulibus suis, Lutheridogmatibus aures præbuerunt, & quas habebant Parœcias, ad exemplum aliorum Magistratum reformârunt: natus A. cl. l. c. XXVI. die XX. Decembr. in oppido Franconiæ Bambergico, cui nomen Auracia-Ducis, prope Noribergam sito, ubi Pater Generosissimus DN. JOACHIM à SECKENDORF, Dominus Hæreditarius in Ober-Zennâ, Præfecturam id temporis tenuit, Magistri Equitum Aulici munere simul functus apud Principem Bambergiæ Illustrissimum. Mater Generosissima erat DN. MARIA ANNA à SECKENDORF, nata SCHERTELIA de BURTENBACH, SEBASTIANI SCHERTELI, celebratissimi illius in bello Schmalcaldico Herois, Equitis Aurati & Burtenbachii Dynastæ Proneptis. Quorum illustrium Parentum providâ solitudine cum à teneris annis literarum esset studiis addictus, longū foret, hîc enarrare, quas mirabiles fati vias, difficillimis temporibus, in adolescentiâ expertus sit, exemplo & solatio omnibus, qui non suis, sed Divinæ gratiæ opibus confidunt. Primam ætatem, à quinto ad duodecimum usq; annum, sub varia rerum vicissitudine Coburgi, Mulhusii atqve Erfurti, publicâ & privatâ Scholâ usus, ita exegit in pietatis & literarum studio, ut decimo anno latinæ lingvæ juxta Grammaticam satis gnarus haberetur, Mathematicis quoque, & lingvæ Gallicæ, uti & cum Græcâ Hebraicâ, ductu meritisissimi Theologi, D. BARTHOLOMÆI ELSNERI, operam navans. Mox talium profectuum fama ad aures venit SERENISSIMI Ducis ERNESTI, PH nomen promeriti, qui tam nobilem adolescentem clementissimè amare cœpit, vocatumq; in Aulam Coburgensem unâ cum duobus Principibus Wûrtembergicis curavit informandum: Unde postea Rectoris Gymnasii Gothani, B. M. ANDRÆ REYHERI fidei sic commissus est, ut duos integros annos in Classe primâ, tanquam publicis literarum castris sub eò militaret. Anno seculi hujus quadragesimo secundo in Academiam Argentoratensem eximiâ eruditione præstans se contulit, eam intra paucos annos gravissimorum studiorum peritiâ precibus atq; industriâ porrò assecutus, quam alii vix compluribus acquirunt. Cum deinceps in Aula Hasfiaca Darmstatina egisset aliquandiu, divinâ providentiâ disponente factum, ut in itinere Gotham delatus à Beatissimo Principe detineretur, oblato clementissimè usu Bibliothecæ & Consiliariorum, vitæq; genere istiusmodi, quod quidem titulum à Nobilium Aulicorum officio gereret, immune tamen esset ab ordinariis functionibus, hâc nimirum fini, ut assidua doctrinarum cura ad sublimiora negotia se aptum magis magisq; redderet. Hîc verò SECKENDORFIUS, accommodatam ingenio vastissimo occasionem nactus, optimam Indulgentissimi Principis spem nequaquam frustratus est, sed anno quadragesimo sexto tam benignam ingressus conditionem, omnibus in id viribus incubuit, ut & studio & ordine tractandarum rerum dignissimarum tanti satisfaceret Ducis expectationi. Nam, quâ fuit Dux inclytus sanctitate, prudentia & constantia, cum Equite obsequiosissimo ita fecerat, ut hic singulis septimanis sæpiusculè captaret opportunitatem, quâ admissus mitissimis auribus proponeret, quæ memoratu digna commentando

observata essent; idque hanc præstaret lege, ut, quemadmodum in rebus aliis alii ad demonstrandam negotiorum utilitatem compellebantur à Principe accuratioris amantissimò, ita similiter ille in omni doctarum occupationum recensione usum praxinque intenderet, eoque dirigeret omnem meditando rationem, usurus potius literis, quam fructurus. Idcirco, hisce curis accinctus Generosus Juvenis, quotidie laborabat acerrimè, horis matutinis sacra & Juridica, pomeridianis autem varia tractabat, excerpens Theologica & Politica, Medica etiam, Historica, Geographica, Genealogica, Poëtica, Philologica, & quæcunque usquam majoris momenti esse judicabat, sufficienter ad id dignoscendum instructus disciplinarum instrumentis atque lingvis, Latina, Græca, Hebraica, Gallica, Italica, Hispanica, Danica & Svecica. Quo in statu convictus est gavisus Concionatoris Aulici B. BRUNCHORSTII, cujus religiosissimi Theologi ex ore nihil terè, nisi ad vitæ sanctimoniam & vanitatis rerum despicientiam spectans audire meminit, tam arcta cum eò familiaritate usus, ut ipsum ad mortem usque intimo affectu & amicitia prosequeretur. Suo igitur ductu quam virtutem colebat ac temperantiam, ita fideliter custoditam, ut ab omni juventutis protervitate integrum se mansisse affirmavit sanctissimè, quotidiano Viri optimi discursu ex verbo DEI solidè corroborabat, eoque cupidius, quò seignius hujusmodi quid à Professoribus, aliisque gravitatem munerum præ se ferentibus, pro rei dignitate moneri, ceu scribit, expertus fuerat. Nec verò exigui hoc momenti reputabat, verum adeo magni sibi tum etiam visum esse testatur, ut ex eò tum conscientia tranquillitatem, id quod longè maximum est, tum sanitatis & rerum dignè gerendarum emolumentum pendere animadverteret. Postquam enim per DEI gratiam sic firmiter apud animum statuerat, observans non ebrietatem modo, sed ipsam quoque nimiam saturitatem divinis humanisque commodis ingenti esse obstaculo, ipse sibi in omnibus leges præscripsit ac modum, atque hanc via ad perficienda negotia, & cultum DEO absque langvore & pigritia persolvendum, expeditissimus semper mansit: quæ propria ejus verba sunt, ex germanico idiomate reddita latinè. Tali proinde sobrietate constanter adhibitâ, longoque istiusmodi usu facultatibus mentis ac corporis ad agendum assuetis, non mirandum, sæpe obstupuisse amicos, qui posterioribus annis tot tantasque occupationes ab uno viro celerrimâ promptitudine sustineri, interque eas ipsum vacare libris legendis, scribendis, edendisque partim expresso, partim suppresso nomine, non tam crediderunt, quam rei veritatem oculis usurparunt suis: quibus interdum quærentibus, quid arcani haberet, quo præter omnium opinionem tanto par esset oneri, ille exploratissimum hoc unum asseverare est solitus, quòd DEI agnosceret gratiam, sed precibus & laboribus assiduis, sed vigilantis animi præsentia, sed temporis & corporis curâ sollicitè observandam atque excolendam. Hæ mihi sunt artes, inquit; usque adeo à teneris advescere multum est! Iisdem artibus cum Gothæ primos duos annos varia persecutus studia esset, degens potissimum extra aulam, sapientissimus ERNESTUS eum propius secum esse voluit, auctaque dignitatis & beneficii ratione, in Comitum Cubiculariorum cooptavit ordinem: ex quo tempore vela sua amplius expandere jussus, speciali mandato nunc ad publica elaboranda, nunc ad itinera Principali nomine suscipienda clementissimè adducebatur. Anno dehinc quinquagesimo desiderabatur in Patriam Franconiam, præficiendus Principi tum Juniori, DN. CHRISTIANO ERNESTO, Marchioni Brandenburgico-Bayreuthensi, hodie regnanti: ERNESTO autem Saxo-Gothano multò charior erat, quam qui dignitendus videretur. Quam ob rem ex merito conferebatur


batur illi sequente anno quinquagesimo primo, ætatis vigesimo quinto, sparta Consilii Aulici & Ecclesiastici, quam indispensabile decreto Serenissimi à Cancellario & Consiliariis, Promotis Juris Doctoribus, speciatim ab unoquoque, examinatus est. Accedebant *A. LVI.* curæ Camerales, quibus supersedere quidem maluerat, ut Regiminis & Consistorii causis solummodo esset dicatus: verum aliter Serenissimo visum, ex voluntate DEI, & quidem hujus consilii occasione præbente exemplo rei familiaris, quam suos intra parietes, ductâ in matrimonium Generosissimâ Virgine, *DN. ELISABETHA JULIANA de VIPPACH*, ab annis aliquot insigni ipse prudentiâ administrarat. Nec sefellit Ducem prudentissimum concepta spes, siquidem octo postea annis Camera Ducalis Consilii hujus & Directoris solertiam experta est uberrimè. Eodem anno vocabatur clementissimè à Serenissimo *FRIDERICO WILHELMO*, Duce Altenburgensi, ad Jenensem Iudicis Aulici provinciam. *A. LXIII.* à Serenisf. suo *ERNESTO*, Gothano, ad summum Aulicæ dignitatis apicem extollebatur, factus Consiliarius Intimus ac Minister Primarius, Regiminis & Consistorii & Cameræ supremus Director. Etsi verò tam amplis admotus muneribus, præsertim apud illum Principem, cujus Ministri nunquam otiosi esse poterant, negotiorum multitudine semper cumulatus & tantum non oppressus fuit, tamen suffultum iis artibus, quas commendavimus supra, minimè pepercisse illum literis interioribus & reconditis, vel solum Historiæ Ecclesiasticæ studium indicio esse potest, cujus mentionem facit in Præloquio Commentarii de Lutheranismò, fructusque admirabilis omnium ante oculos versatur in Compendiò Historiæ Ecclesiasticæ Gothanò, agnoscente *SECKENDORFIUM* eximie partis Autorem: testatur idem crebra Celsissimi *ERNESTI* erga eum facta admonitio, ipso ibidem referente, ut Reformationis superiori seculo in Germania, aut saltem in Saxoniam, peractæ Historiam literis mandaret; quod divinitus ingestum consilium, post longum temporis intervallum, in senectute implere debuit. Interea multos adhuc annos molestias seculi devoravit ille, *A. LXIV.* præter alias summas vocationes ex Aulâ Saxo-Gothanâ, secutus Serenisf. Ducem *MAURITIUM* ad Consilii Intimi & Cancellarii Citicensis munus, conscientie rationibus adactus prægnantissimis. In hac Aulâ denuò septendecim vixit annos, curis longè gravissimis oneratus, adjunctus etiam Cameralibus dirigendis. Et verò tanta ibi gratiâ fovebatur ob meritum excellentiam, ut Clementissimi Principis consensu, à Potentiss. *JOHANNE GEORGIO II.* Electore in Consiliorum Intimorum numerum ascitus *A. LXIX.* & *A. LXXVI.* Director Provincialis Altenburgensis, & *A. LXXX.* Director Aerarii in eodem Ducatu supremus à Serenisf. *FRIDERICO*, Saxo-Gothanò, constitutus sit. Insequente autem octuagesimo primò, cum laudatus *MAURITIUS* fato decederet, dudumque B. Cancellarius cum Hero adhuc vivente pepigisset ita, munere illo Citicensi prorsus se abdicavit, dignitates retinens Altenburgicas, & Meuselvizium, in prædium atque oppidum suum Altenburgense concedens, assumptis prætereà honoribus Consilii Intimi à Serenisf. *JOHANNE GEORGIO*, Saxo-Isenacensi, peculiare ob causas delatis. Tandem igitur post triginta annorum duobus magnæ pietatis & virtutis Principibus, *ERNESTO* & *MAURITIO*, præstitum fidelissimum pariter & laboriosissimum ministerium, merito huic Equiti & Heroi ista contigit felicitas, quam diu, & præsertim post completum

quingvagesimum ætatis suæ annum, multis precibus à DEO petiverat, ut quod restaret vitæ liberum à curis molestissimis transigere daretur. Quò quidem obstrictiorem se esse existimavit (ita loquitur dicto in Præloquio Commentarii de Luther:) ut reliquos annos, quos penè solos vitæ numerabat, ita impenderet, ut DEO, cui omnia se debere profitebatur, etiam otii sui rationem reddere paratus esset. Quocircà annitebatur, ut occupatio primaria circa res cœlestes versaretur, omniumque aliarum existeret comes illa atque directrix; & quoniam ad hunc scopum sibi propositum sacræ disciplinæ proximè accederent, quarum rudimenta puer didicerat, profectum nunquam penitus neglexerat, arctius cum iis commercium renovandum esse duxit, cæteris missis aut infrequenter salutatis, quæ in negotiosa etiam vita sese offerebant, civilis licet scientiæ utilitate æstimabiles & aliquando necessariæ. Commentatus erat in Citicensi amplitudine librum de Statu Principum Germaniæ, hominibus Politicis auro contrà carum. Nunc verò omnia sua studia, omnemque operam, curam, industriam, cogitationem, mentem denique omnem in præparationibus ad beatum obitum figens atque locans, statuebat vix aliud quicquam scribendum, quod eò non pertineret. Argumentum haud alienum videbatur, quod etiam vehementer approbante MAURITIO meditari cœperat, contra profanos Aulicorum quorundam sermones, utpote quos summopere detestabatur Dux optimus, & publicè refellendos putabat: unde confectus liber de Statu Christianismi est, Theologiæ & Juris peritis acceptissimus. Hòc edito, mox quidem submitit Orationes Germanicas, pro Solennibus Aulicis diverso tempore & loco habitas, sed ita elaboratas, ut solidæ sanctæque virtutis radii undique eluceant, quarum editioni apposita prætatione concludit, se in posterum ad emendationem sui secum locuturum, ingenuis hisce verbis additis: *Ne notus nimis omnibus ignotus moriar mihi.* Ceterum quantum animæ curam suæ exercuerit, abundè confirmat labor ille incomparabilis, quem Sanctissimus Senex in latinè reddendas Theologi cujusdam meditationes exemplo ne utique frequenti insumsit, nullum certè in finem alium, quam ut cogitans de perspicua versione ipsas res eò altius imbiberet digereretque. Atque antea memoratis scriptis aliqui fortè experientiæ ac scientiæ, per tot annos acquisitæ, fructus publici juris sunt facti: at enim ut campum ingrederetur, in quo excurrere amplius virtutes cognoscique possent, DEO fanè acceptum ferendum, quòd Beatissimus Vir tam opportunè vetus ERNESTI consilium, rebus in quietum statum compositis, ad refutandam Maimburgii Galli de Lutheranismò Historiam applicare sustinuerit. Cum enim non minimæ sint Historici partes, sed ut ipse judicat, seligendus ad eas meritò ex Consiliariorum sive Ministrorum numero optimus, mente calamoque vividus, talis scilicet, qui maximis gravissimisque negotiis per aliquot annos exercitatus, Linguarum & styli peritus, industrius, sobrius, laboriosus, probatæque virtutis, pietatis & fidei esset, cui omnia arcana credi tutò possint, in tanta præsertim causa Ecclesiastica, quis, quæso, rectius numeros illos implere poterat, quam SECKENDORFIUS, cui soli, quicquid latebat in Saxonicarum Aularum Archivis, vel notum, vel non occultandum erat? Itaque Historicam veritatem monumentis certissimis luce & majestate nativâ donaturus, reperiebat omninò, ubi prudentiam Politicam & Ecclesiasticam, variamque doctri-

doctrinam, innumeris observationibus firmatam, in dijudicandis tot rebus & causis antiquissimis explicaret, eo autem pietati ipsius aptissimo successu, ut simul in negotio illo sacro Lutheri, Melanctonis, aliorumque Principum & virorum dictis, factis scriptisque sanctissimis fastidium molestiarum omne abstergere, animique ad caelestia inflammati igniculos alere ac sustentare posset: cujus utriusque rationis quantum expressiora, quantumque illustriora divinum opus ubique praebet documenta, eò admirari magis bonitatem DEI, & amare indefessi Herois sanctitatem oportebit. Verum enim verò hisce curis intentum illum Pater Opt. Max. destinabat novis adversae ac secundae fortunae vicissitudinibus afficere, ut servum adeò dilectum omni crucis, amoris atque honoris genere consummaret. Namque Anno LXXXIV. dilectissima Conjux, tot annorum laborumque socia, beata morte ærumnis quidem terrestribus, ast ipsi non sine ingenti dolore eripiebatur, ex quâ primis conjugii annis binas filias susceperat, fato suo celeriter defunctas. Quæ verò arcana divinæ benignitatis consilia sunt, nova optimo Seni reservata erant gaudia, quantumquam ut filios DEI experiri decet, certis nunquam non temperata calamitatibus. Ita nimirum factum, ut Ao. LXXXV. spectatarum virtutum virginem, Generosissimam DN. SOPHIAM SUSANNAM ENDIAM, nunc Viduam moestissimam, sibi in matrimonium & solatium ascisceret, tam fausto eventu, ut hujus blanda fidelitate, ipsum ante obitum adhuc prædicata, non tantum commodè uteretur, sed etiam in senectute sua benedicti conjugii foetus referret, filiolarum quidem primum, ipsam cum nativitate ad caelestem patriam emigrante, deinceps verò Anno XC. filio admodum vegeto auctus, qui ut feliciter cum Matre Illustri vivat, Parentisque meritisimi sicut nomen, VITILUDOVICI, ita & virtutes reportet ac venturo seculo restituat, etiam atque etiam DEUM precamur. Post contractas secundas nuptias incendium quoque in oppido suo intueri debuit Vir exercitissimus, sic permittente DEO, ut occasio suppeditaretur præstandæ misericordiae & liberalitatis, quam erga subditos aliosque amicos tam larga facilitate executus est, ut ipsum verè opum Dominum suarum extitisse omnes norint. Videtis hætenus, CIVES, in SECKENDORFIO Nostro nihil non admirandum occurrere. Unum superest, coronidis habendum loco. Vitam ejus ad finem properante, singulari adhuc coronam eximias Viri virtutes dignari in terris voluit caelestis providentia, excitavitque Sapientissimum Suum FRIDERICUM, Tertium hujus nominis ELECTOREM BRANDENBURGICUM, DOMINUM NOSTRUM CLEMENTISSIMUM, qui anno superiore XCI. probatissimum Senem ob tanta merita, in toto orbe dudum conspicua, suum nuncupare Consiliarium Intimum decernebat. Nutum hunc divinum is veneratus humillimè, amorem in se celsissimum valde auxit, quando ea ætate in rebus obeundis dexteritatem ostendit inusitatam, cui nihil virium deesse videbatur. Ut propterea hujus Ministri, omnibus & prudentiæ & doctrinæ opibus tantoperè muniti, usus quam optimè collocaretur, visum est Potentissimo ELECTORI affectu planè paternò, Universitati FRIDERICIANÆ suo illum nomine & loco tanquam Cancellarium

Ze 4872 A

præficere. Quo quidem decreto rebus nostris fortuna affulgebat præsentissima, ita etiam confirmata, ut Vir in Reipublicæ & Ecclesiæ bonum prorsum natus, sedem quietam deserere, & Academiam Electoralem gubernandam sequi nullus dubitaret, immò adveniens curas Ecclesiæ gravissimas jam tum composuerit, plurimaque commoda meditaretur. Jam verò nos ipse eventus edocet, quòd Numen Supremum servum hunc fidissimum eâ præcipuè fini hùc miserit, ut rebus Ecclesiæ pacatò statu frui jusset, quem apprimè commendare solebat, Academia nostra Fridericiana illustrissimum primi Cancellarii exemplum, ut initiò diximus, sibi semper ante oculos propositum servet. Quam fati clementiam ut in magnâ felicitatis parte omninò ponimus, ita persvasissimum habebitis, Cives, Beatissimum Senem tantam de vobis sollicitudinem iniisse, ut ad postremum usque morbi senilis diem, de commodis Vestris, suoque in illa studio loqueretur. Vos mente id gratisimâ agnoscatis necesse est, cumque exuviæ PATRONI PATRISQUE tanti, anima dudum apud Christum triumphante, die indicto hinc Meuselvizium abducendæ sint, persolvatis extremum illi honorem nobiscum funus comitando, quod non tam à nobis rogati, quàm observantiâ vestra & pietate ipsa compulsi facietis. P. P. Halæ-Sax.
 Die Tertio Feriarum Nativitatis Domini, Anno post natum Christum M DC XCII.



WMA

MC



Pou Ze 4812

Fl



e-
m
m
ia
ur.
m
a-
e-
n,
m
r-
is
le
id
A-
r-
lli
i,
x,





F.R. 106.

Vita et Senectus
Curriculum. V. 454

PROGRAMMA,

Qvo

ACADEMIÆ

ELECTORALIS FRIDERICIANÆ

DIRECTOR

ET PROFESSOR

Ad F

Per-Illustri atq; Exc

DOM

VITO

VICO à SEC

EQVITI IMPERII IMME

ET MEU

SERENISSIMI ac

ELECTORIS BR.

CONSILIAR

UNIVERSITATIS

CANCEL

d. XVIII. Decembr.


d. XX

solenniter

CIVES AC

hortantur

Z e
4812



Typis CHRISTOPHORI S ALFELDII, Regiminis
Elect. Brandenb. Typogr.

